



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

2. Vtrum per modum satisfactionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)



niam est ex pluribus meritis facere sibi idem premium debitum. & collat quo dicitur hoc contingere, dum quilibet in gratia constitutus, quolibet meritorio meretur vitam eternam. Vt doceret tamen Auctor necessarium meriti per passionem Christi ultra meritum per alios Christi actus, dixit quod passio Christi addit supra priora merita: quia per ipsam meruit Christus tollere impedimenta nostrae salutis meruit enim tollere & culpam omnem, & poenam tam naturae nostrae quam singulorum membrorum suorum.

In responsione ad ultimum, adverte quod ultra utilitates numeratas in articulo tertio questionis 46. quae in parte passio Christi ex ipso genere operis, est unus effectus inferius explicat ab Auctore, scilicet quod quia patiens subtrahit a se quod suum est propter amorem illius pro quo patitur, per hoc efficit, ut sibi ex ipso operis genere debeat illorum salus, pro quibus se sua salute priuauit.

Super quasi quadra gestio dicitur articulum secundum.

Tulius clarus ex ipsa satisfactionis ratione; facere siquidem satis est facere equale seu sufficiens debitum. Praesupponit namque satisfactio debitum, pro quo satisfaciendum est, & debitum praesuppositum tunc satisfactio, quando aliquid exhibetur equiuale debiti uel excedens illud. In proposito, quia de debito humani generis constat (quoniam & offensus Deum, & obnoxium erat eterne poene) queritur, an passio Christi saluauerit nos per modum satisfactionis, hoc est per modum recompensantis & quale ad minus debito humani generis.

SED CONTRA est, quod super illud Philip. 2. Propter quod, & Deus exaltauit illum, & c. dicit Augustinus. Humilitas passionis, claritatis est meritum, claritas humilitatis est premium: sed ipse clarificatus est non solum in seipso, sed etiam in suis fidelibus, ut ipse dicit Ioan. 17. ergo uidetur, quod ipse meruerit salutem suorum fidelium.

RESPONDEO. Dicendum, quod (sicut supra dictum est) Christo data est gratia, non solum sicut singulari personae, sed in quantum est caput ecclesiae, ut scilicet ab ipso redundaret ad membra: & ideo opera Christi hoc modo se habent tam ad se, quam ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Manifestum est autem, quod quicumque in gratia constitutus, propter iustitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem, sicut illud Mat. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, unde Christus per suam passionem non solum sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod passio, in quantum habet meritum, non est meritoria: quia habet principium ab exteriori: sed secundum quod eam aliquis uoluntarie sustinet, sic habet principium ab interiori, & hoc modo est meritoria.

AD SECUNDUM dicendum, quod Christus a principio suae conceptionis meruit nobis salutem aeternam: sed ex parte nostra erant quaedam impedimenta, quibus impediemur consequi effectum praecedentium meritorium. unde ad remouendum illa impedimenta oportuit Christum pati, ut supra dictum est.

AD TERTIUM dicendum, quod passio Christi habuit aliquem effectum, quem non habuerunt praecedentia merita: non propter maiorem charitatem, sed propter genus operis, quod erat conueniens tali effectui, ut patet ex rationibus supra inductis de conuenientia passionis Christi.

ARTICVLVS II.

Vtrum passio Christi causauerit nostram salutem per modum satisfactionis.

AD SECUNDUM sic proceditur. Videtur, quod passio Christi non causauerit nostram salutem per modum satisfactionis. Eiusdem enim uidetur esse satisfacere, curius est peccare, sicut patet in

aliis poenitentiae partibus; cuiusdem enim est conteri & confiteri, cuius est peccare: sed Christus non peccauit, secundum illud 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit: ergo ipse non satisfacit propria passione.

¶ 2. Praet. Nulli satisfacit per maiorem offensam: sed maxima offensa fuit perpetrata in Christi passione: quia grauissimi peccauerunt, qui eum occiderunt, ut supra dictum est. Ergo uidetur quod per passionem Christi non potuerit Deo satisfacere.

¶ 3. Praet. Satisfactio importat aequalitatem quandam ad culpam, cum sit actus iustitiae: sed passio Christi non uidetur esse aequalis omnibus peccatis humani generis: quia Christus non est passus secundum diuinitatem, sed secundum carnem, secundum illud 1. Pet. 4. Christo igitur passio in carne. Anima autem in qua est peccatum, potior est quam caro. non ergo Christus sua passione satisfacit pro peccatis nostris.

SED CONTRA est, quod in persona eius dicitur in Psal. sexagesimo octauo. Quae non rapuit, tunc exoluebatur. Non autem exoluit qui perfecte non satisfacit: ergo uidetur quod Christus patiente, perfecte satisfacit pro peccatis nostris.

RESPONDEO. Dicendum, quod ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod aequale uel magis diligit, quam odert offensam. Christus autem ex charitate & obedientia patiente, magis Deo aliquid exhibuit, quam exigeret recompensatio totius offensa humani generis. Primum quidem, propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundum, propter dignitatem vitae suae, quam pro satisfactione ponebat: quae erat vita Dei & hominis. Tertium, propter generalitatem passionis, & magnitudinem doloris assumpsi: ut supra dictum est. & ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis, secundum illud 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod caput & membra sunt quasi una persona mystica. & ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet, sicut ad sua membra. In quantum etiam duo homines sunt unum in charitate, unus pro alio satisfacere potest, ut infra pa-

In corpore una est conclusio responsiua quae sit affirmatiua. Passio Christi non solum sufficiens, sed superabundans satisfactio fuit, pro peccatis humani generis. Probat. Ille proprie satisfacit offenso, qui illi exhibet, quod aequale uel magis diligit, quam odert offensam: sed Christus patiente, Deo magis exhibuit quam exigeret offensa totius humani generis. Ergo. Probat. minor tripliciter, & confirmatur, & minor, & conclusio auctoritate Ioan. euangelista.

Adverte hic, quod aliquid exhibitum offenso, dupliciter potest satisfacere. Primo, ex gratia offensa acceptantis illud exhibitum pro sufficiency, quamuis illud in se non esset sufficiens pro satisfactione, sicut si rex pro iniuria sibi facta acceptet solam petitionem veniae. Alio modo, ex sufficientia ipsius rei exhibitae: quia scilicet illud exhibitum est secundum se tantae bonitatis, amabilitatis, dignitatis & excellentiae, ut adequet offensam uel excedat, sicut si pro offensa deberetur libra argenti, & daretur libra auri. In proposito est sermo de satisfactione secundum modo, hoc est secundum se: ita quod sensus maioris est, quod ille proprie satisfacit, qui exhibet offenso, quod secundum se est magis ab offenso dilectum, quam exola offensa. Et hunc sensum manifestat minor, dicens quod Christus plus exhibuit patiente, quam offensa recompensatio exigebat; manifeste enim hic comparantur secundum se offensa, & passio Christi. Unde concluditur quod Christi passio secundum se est satisfactio superabundans pro peccatis humani generis, & ideo acceptata a Deo, & non e contra, quia acceptata, ideo sufficiens. Et hoc probant rationes litterae.

In responsione ad pri-

q. preced. artic. 6.

q. 46. ar. 6.



primum, dubium occurrit circa ratione redditam, quare potest unus pro alio satisfacere, & non contra aut confiteri. At signatur siquidem in licita ratio, quia satisfactio est actus exterior. Contra quam in prompta est obiectio, quod confessio quoque est actus exterior, & propterea si ratio est ualida, infertur etiam quod non potest confiteri pro alio, & quia hoc non est uerum, sequitur quod ratio nihil ualeat.

Ad dubium hoc dicitur, quod equiuocatio hic accidit de actu exteriori. Nam actus exterior dupliciter dicitur, uel ut distinguitur absolute contra interiorem. Et secundum hunc sensum procedit obiectio; sic enim confessio est actus exterior: Alio modo sumitur actus exterior secundum medium, & sic distinguitur contra actum secundum medium interius, hoc est rationis tantum. Ve enim in moralibus patitur, dupliciter inuenitur medium in actibus nostris, uel medium rationis tantum, uel medium rei. Et medium rei exterior dicitur, quia in aequalitate rei ad rem consistit, medium autem rationis interius quodammodo dicitur, quia in proportione intrinseca rationis in ordine ad operantem consistit. Quia autem satisfactio in aequalitate rei ad rem consistit, (oportet enim ipsam adaequare debitum, ut patet) ideo dicitur hic, quod consistit in actu exteriori secundum medium, & in hoc differt confessio a satisfactione in proposito. Et hinc provenit, ut Auctor dicit, quod satisfacere potest quis per alium, quoniam ad aequale externum soluedum adhiberi possunt externa instrumenta, inter quae sunt amici non minus, quam pecunie. Satisfactio autem externa sonat adaequationem; est enim face-

tebit. Non autem est similis ratio de confessione & contritione: quia satisfactio consistit in actu exteriori, ad quem assumi possunt instrumenta, inter quae computatur etiam amici.

AD SECUNDVM dicendum, quod maior fuit charitas Christi patientis, quam malitia crucifixigentium. & ideo plus potuit Christus satisfacere sua passione, quam crucifixoress offendere occidendo, in tantum quod passio Christi sufficiens fuit, & superabundans ad satisfaciendum pro peccatis occidentium ipsorum.

AD TERTIVM dicendum, quod dignitas carnis Christi non est estimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.

ARTICVLVS III.

Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod passio Christi non sit operata per modum sacrificii. Veritas enim debet respondere figurae: sed in sacrificiis ueteris legis, quae erant figurae Christi, nunquam offerebatur caro humana, quinimo haec sacrificia nefanda habebantur, secundum illud Psalm. centesimiquinti. Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt scilicet pro filiis Chanaan. ergo uidetur quod passio Christi sacrificium dici non possit.

¶ 2 Praterea. Augustinus \* dicit in decimo de Ciuitate Dei, quod sacrificium uisibile, inuisibile sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est: sed passio Christi non est signum, sed magis signatum per alia signa: ergo uidetur quod passio Christi non sit sacrificium.

¶ 3 Preterea. Quicumque offert sacrificium, aliquod sacrum facit, ut ipsum nomen sacrificii demonstrat: illi autem qui Christum occiderunt, non fecerunt aliquod sacrum, sed magnam malitiam perpetraverunt. ergo passio Christi magis fuit maleficium, quam sacrificium.

SED CONTRA est, quod Apostolus dicit Ephe. quinto. Tradidit semetipsum pro nobis, obla-

tionem & hostiam Deo: in odorem suauitatis.

RESPON. Dicendum, quod sacrificium proprie dicitur aliquid factum in honorem proprie Deo debitum, ad eum placandum. Et inde est quod Augustinus \* dicit in 10. de Ciuitate Dei, Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut charitate in heremus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo ueraciter boni esse possumus. Christus autem (ut ibidem subditur) seipsum obtulit in passione pro nobis, & hoc ipsum opus, quod uoluntate passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, ut pote ex charitate proveniens. unde manifestum est, quod passio Christi fuerit uerum sacrificium. Et sicut ipse postea subdit in eodem libro, Huius ueri sacrificii multiplicia, uariaque signa erant sacrificia praesentia sanctorum, cum hoc uerum per multa figuraretur, tamquam uerbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commedaretur. Et cum quatuor considerentur in omni sacrificio (ut Augustinus dicit in 4. de Trinitate.) scilicet cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus uerusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebatur, unum in se faceret, pro quibus offerebatur, unus ipse esset qui offerebatur, & quod offerebatur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod licet ueritas respondeat figuram, quantum ad aliquid, non tamen quantum ad omnia: quia oportet quod ueritas figuram excedat. & ideo conuenienter figura huius sacrificii, quo caro Christi offertur pro nobis, fuit caro non hominum, sed aliorum animalium significantium carnem Christi, quae est perfectissimum sacrificium. Primum quidem quia ex eo quod est humanae naturae caro, congrue pro hominibus offertur, & ab eis sumitur sub sacramento. Secundo, quia ex eo quod erat passibilis & mortalis, apta erat immolationi. Tertio, quia per hoc quod erat sine peccato, efficax erat ad emundanda peccata. Quarto, quia ex eo quod erat caro ipsius offerentis, erat Deo accepta propter charitatem, suam carnem offerentis. unde Aug. \* dicit in 3. de Trin. Quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quam humana caro? & quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis & quid tam mundum pro mundan-

re factis, id est sufficiens.

¶ Super quaest. quae de sacrificio tractantur articulus tertius.

Titulus clarus. In corpore tria. Primo respondetur quaestioni uel conclusioni: Passio Christi fuit uerum sacrificium. Probatur: Omne opus quod agitur ut charitate in heremus Deo, relatum ad ipsum Deum, est uerum sacrificium: sed Christus sustinuit uoluntate passionem, egit opus acceptissimum, & ergo maior secutus, & auctoritate Augustini, & quia id proprie dicitur sacrificium, quod fit in honorem Deo proprie debetur ad eum placandum. Secundo, monstratur excellentia huius sacrificii, ex eo quod figuratum est per aliqua sacrificia. Tertio, monstratur summa huius sacrificii excellentia, ex concursu omnium quatuor requisitorum ad sacrificium in unum quia. scilicet Christus est qui offertur, & est Deus, cui offertur, & est qui offertur, & est pro quo, hoc est pro cuius corpore mystico offertur.

In responsione ad tertium, ad eod quod iuxta diuersam sacrificii naturam, diuersimode inuenitur face sacrum. In sacrificiis enim consistentibus in agere, inuenitur sacrum ad extra ut patet in sacrificiis animalium & altaris. Sed in sacrificiis que consistunt in pati, inuenitur sacrum ad actionem interiori, quae sponte offert Deo suum pati. Et sic Christus fecit sacrum actione interiori: occisores autem eius fecerunt actione exteriori non sacrum, sed sacrilegium maximum.

¶ Super

Inf. q. 49. ar. 4. cor. & q. 73. ar. 4. cor. & ad 3. & 81. ar. 1. cor. & op. 60. ca. 18.

Lib. 10. c. 5. paulo a principio. 5.

Inf. q. 4. ar. 2. & 3. ar. 4. cor. & op. 60. ca. 18.

Inf. q. 4. ar. 2. & 3. ar. 4. cor. & op. 60. ca. 18.

446. 2. 3. ar. 4. cor. & op. 60. ca. 18.